

gantes, idola colunt, et adorant; prout alibi latius diximus.

28. *Saracenorum et paganorum personæ, non autem templa permittuntur in locis christianis.* — Resp. II. Circa Saracenos, et paganos sequentia habentur sancita in jure.

I. Quod quamvis tam Saraceni quam pagani, æque ac Judæi sub tutela quorundam principum Christianorum vivere, et jure civium Romanorum uti permittantur l. *Christianos*, 6, c. de Paganis, templa tamen, et sacrificia eorum a jure specialiter prohibentur, protinusque claudi, imo penitus dirui ubique locorum Christianorum jubentur, textu expresso l. 1, l. *Sicut*, 3, et l. *Omnia*, 5, c. eod.

29. *Quare horum, non autem Judæorum templa prohibeantur? Judæi pejores sunt Saracenis, et pagani, can. Nonne.* 37, cau. 1, q. 1, ibi: Nonne Sodomitæ ethnici erant, id est gentiles? Pejores ergo erant Judæi, quibus Dominus dicit: Tolerabilius erit Sodomis in die judicii, quam vobis: ergo si synagoga Judæorum tolerantur, et sacrificia, etiam paganorum toleranda videntur. Resp. transmissio anteced. negando consequent., quia quod ritus, et sacrificia Judæorum tolerantur, ratio et utilitas nostræ religionis suadet, utpote cujus veritas per ritus Judæorum tanquam figuram multum confirmatur, uti amplius dictum est supra: quæ ratio, quia in sacrificiis paganorum non militat, nec alia ratio eorum tolerantiam suadet, merito ubique extreme prohibentur; cum etiam universaliter loquendo, moralia permitti non debeant, nec possint, nisi ob aliquod bonum inde resultans, vel ut malum aliud per illa evitetur.

30. *Sub excommunicatione et aliis gravissimis pœnis prohibitum est Christianis, ne aliquod armorum genus ad Saracenos, aliosve infideles deferant.* — II. Per varios canones, et constitutiones Pontificias, et quidem sub excommunicatione ipso facto incurrenda, ac Pontifici reservata, aliisque gravissimis pœnis prohibetur, nec ullum armorum, aut instrumentorum, seu materialium bellicorum genus ad bellum contra Christianos serviens, ad Saracenos deferant, transmittant, eisque vendant aut subministrent Christiani per textus claros, c. *Ita quorundam*, 6, c. *Significavit*, 11, et c. *Ad liberandam*, 17, h. t. Item extravag. 1. eod. inter communes, et extravag. *Copiosus*, un.

Joannis XXII, h. t. Quibus accedunt Bulla Cœnæ Domini, et leges civiles, uti l. *Nemo*, 2, c. *Quæ res exportari non debent*, ubi sub pœna capitali, et confiscatione omnium bonorum inhibetur, ne quis Barbaris cujuscunque gentis, etiam sub specie legationis ad Christianorum civitates pervenientibus, aut alia quacunquē occasione vel prætextu, aliquod qualecunque tandem armorum, aut instrumentorum bellicorum genus, vel etiam ferrum adhuc infectum vendat, et a fortiori ne ad ipsos transmittat. Item l. *His qui*, 25, c. *de Pœnis*, ubi etiam his, qui conficiendi naves incognitam ante peritiam Barbaris tradiderint, capitale judicium proponebatur.

31. *Etiam tempore pacis.* — Et hæ prohibitiones de non vendendo pagani, ac Saracenis ullo armorum genere, et de non deferendo aliquo ad eos procedit non tantum durante Christianorum cum infidelibus bello, sed etiam tempore pacis, uti patet ex citatis juribus, atque cum communi docet Barbosa, in c. *Quod olim*, 12, h. t., n. 2, et ibi Abbas, n. 1.

32. *Quo, non item belli tempore, aliarum rerum commercium cum illis licitum est.* — Aliæ tamen merces nullam armorum naturam habentes, ad Saracenos et paganos tempore pacis (non iterum tempore belli) deferri, eisque vendi bene possint, uti a sensu contrario recte infert Barbosa, in c. *Quod olim*, 12, h. t., n. 2, et ibi Abbas, n. 1. Pirhing, h. t., n. 36, arg. cit. c. *Quod olim*, ubi penitus omne commercium cum Saracenis prohibetur tempore querræ seu belli; ergo extra tempus querræ non omne commercium, sed illud tantum prohibetur, quo venditur, aut transfertur aliquod armorum genus contra jura supra n. 30, citata.

33. *Qualiter in Bulla cœnæ prohibeatur, ne aliquod armorum genus deferatur ad infideles et hæreticos.* — Porro licet illi, qui arma deferunt ad infideles non Saracenos, puta paganos, ethnicos, Judæos, vi juris communis ecclesiastici non sint excommunicati, nec aliis pœnis ab eodem statutis subjecti cum canones num. 30, citati de solis Saracenis loquantur, consequenter tanquam odiosæ extendi non debent, arg. c. *Odia de Regul. jur.* in 6, uti post Azorium, part. I, lib. VIII, cap. XXIII, q. 4, bene rotat Barbosa in c. *Ita quorundam*, 6, h. t., num. 3; Pirhing, h. t., num. 34. Tamen, ut iidem etiam addunt, vi Bullæ Cœnæ etiam isti sunt excom-

municati, eo quod in ea sub dicta pœna gravissime prohibeatur illis verbis: Item excommunicamus, et anathematizamus omnes illos, qui ad Saracenos, Turcas, et alios Christiani nominis hostes, vel hæreticos, per nostras, sive S. Sedis sententias expresse, et nominatim declaratos deferunt, seu transmittunt equos, arma, ferrum, filum ferri, stannum, chalybem, omniaque alia metallorum genera, atque bellica instrumenta, lignamina, canabim, funes, tam ex ipsa canabi quam alia materia, et ipsam materiam, aliaque hujusmodi, quibus Christianos et Catholicos impugnant, necnon illos, qui per se vel alios de rebus statum Christianæ reipublicæ concernentibus, in Christianorum perniciem et damnum, ipsos Turcas, et Christianæ religionis inimicos in damnum Catholicæ religionis certiores faciunt, illisque ad id auxilium, et favorem quomodolibet præstant, etc. Tales aliquod armorum genus vendentes cuicunque tandem genti Barbaræ seu non Christianæ etiam transgrediuntur leges civiles num. 30, citatas, earumque pœnis subjacent.

34. *Ratio prohibitionis.* — Cæterum quare utroque jure tam graviter, tantisque sub pœnis prohibeatur, ne ullo etiam pacis tempore aliquod armorum genus Saracenis, et aliis Christiani nominis inimicis vendatur, vel ad eos deferatur. Ratio est, quia perniciosum, et proditioni proximum est, Barbaros, quos indigere convenit, telis eos, ut validiores reddantur, instruere, uti dicitur l. *Nemo*, 12, *Quæ res export.* Cur autem tempore belli penitus omne commercium, etiam de rebus aliis licitis prohibeatur, ratio est, ne occasione alicujus commercii inique manifestentur occulta consilia, aut fiant prodiones, vel aliæ perniciosæ machinationes.

35. *Etiam qui aliud auxilium vel consilium infidelibus contra catholicos præbent, excommunicati sunt.* — Enimvero gravissime, et quidem sub pœna excommunicationis insuper prohibitum est Christianis, ut Saracenis nullum armorum genus, nullumque aliud qualecunque subsidium, vel auxilium præsentent; item ne etiam aliquod illis consilium contra Christianos præbeant, uti expresse statuitur c. *Quod olim*, 12, h. t., ibi: Nec alio quocunque modo, aut ingenio eis consilia, vel alia subsidia transmittatis, et c. *Ad liberandum*, 17, eod. ibi: Qui aliquod eis impendunt consilium, vel auxilium: Quos proin ibidem concilium generale merito vo-

cat falsos, et impios Christianos. Sed dolendum sane, quod sanctissimæ hæ tam ecclesiasticæ, quam civiles leges tam parum observentur, cum proh dolor! non raro, præsertim frigidis hiscæ temporibus, Saracenis, aliisque Christiani nominis et Ecclesiæ veræ inimicis contra Catholicos tam tempore belli, quam pacis non tantum omnis generis arma et subsidia mittantur, sed pessima etiam consilia contra ipsos jugiter suggerantur, ac quod deplorandum, arcissima etiam fœdera cum iisdem habeantur.

Occasione hujus in isto titulo practicam aliquam quæstionem instituunt doctores, qua:

36. *An liceat inire fœdus belli cum infidelibus, aut hæreticis? Remissive.* — Quæritur. An, et qualiter prohibitum ac licitum sit Christianis inire fœdus belli cum Saracenis, aut aliis infidelibus, vel etiam hæreticis? Verum ad hanc quæstionem patebit tit. seq. a numer. 165.

37. *Quod Judæi ad fidem et baptismum directe cogi valeant videntur suadere rationes.* — Quæritur VI. An principes Christiani Judæos, et Saracenos, aliosque infideles sibi subditos ad fidem, vel baptismum cogere, aut ob infidelitatem e territorio suo ejicere valeant? Rationes et motiva dubitandi affirmativamque tenendi, plura sunt. Imprimis enim certum est apud theologos quemvis hominem etiam Judæum, et infidelem lege divina et naturali teneri ad baptismum et fidem sufficienter propositam suscipiendam; ergo cum superiores tam sæculares, quam ecclesiastici tanquam custodes, et ultores legis divinæ universaliter posint subditos suos cogere ad observandas leges divinas, poterunt etiam Judæos, ac infideles saltem sibi subditos ad observantiam hujus legis divinæ cogere.

38. *Jura.* — Pro eadem parte affirmativa videntur etiam favere jura, ut can. *Jam vero*, 4, cau. 23, q. 6, ubi Gregorius Papa Januario episcopo mandat, ut Rusticum quemdam impositione oneris ad Deum venire cogat, et l. fin. c. *de Paganis*, ubi pagani renuentes baptizari, confiscationis bonorum et exilio puniri jubentur, ac l. *Callicolarum*, c. *de Judæis*, qua præcipitur, ut Callicolæ ad fidem Christianam converti renuentes, iisdem, qua hæretici stringantur pœnis hæretici autem ad fidem Catholicam cogi possunt, juxta dicenda tit. seq. Ergo, et infideles.

39. *Et exen pla.* — Accedunt exempla præclarissimorum regum, et principum, ut Sisebuti Gothorum regis, qui Judæos in Hispania baptizari renuentes, turpiter decalvari, flagellis cædi, et eorum bonis fisco adiectis, exilio puniri jussit, uti constat ex concilio Toletan. 6. Item regum Ferdinandi, et Elizabeth; qui Judæos, et Saracenos baptizari recusantes, in toto Hispaniæ regno exterminarunt, et ejecerunt, ac propterea magnis laudibus extolluntur a doctoribus apud Gonzalez in c. *Sicut Judæi*, 9, h. t. num. 2. Quibus non obstantibus.

40. *Contrarium est verius.* — Resp. I. Non est licitum principibus Christianis Judæos, et Saracenos, aliosve infideles, etsi sibi subditos, directe cogere ad suscipiendam fidem, vel baptismum: S. Ambrosius, serm. 13, in psalm. cxviii; S. Thomas, 2, 2, quæst. 100, art. 8; Barbosa in c. *Sicut Judæi*, 9, h. t. num. 9, et ibi Gonzalez, n. 5; Becanus, *de Fide*, cap. xiii, q. 4, num. 2 et 3; Delbene, *de Offic.*, inquisit. p. 2, dub. 230, sec. 8; Suarez, *de Fide*, disp. 18, sect. 1 et seq.; Pirhing, h. t. n. 26, cum communi tam theologorum, quam canonistarum, ob clara jura can. de Judæis, 5, dist. 45, ibi: De Judæis autem præcipit sancta synodus nemini deinceps ad credendam vim inferri; cui enim vult, miseretur Deus, et quem vult, indurat, et can. *Ad fidem*, 33, cau. 3, q. 5, ibi: Ad fidem nullus est cogendus invitus ac c. *Sicut Judæi*, 9, h. t. ibi: Statuimus, ut nullus invitos, vel nolentes Judæos ad baptismum venire compellat. Ratio ulterior subjungitur cit. can. *de Judæis*, dist. 45, illis verbis: Non enim inviti salvandi sunt, sed volentes, ut integra sit forma justitiæ; sicut enim propria arbitrii voluntate serpenti obediens periit, sic vocante se gratia Dei propriæ mentis conversione homo quisque credendo salvatur. Accedit, quod talis coactio directa fidem Christianam exosam, et de tyrannide suspectam redderet, multaque alia mala secum traheret.

41. *Solvuntur rationes oppositæ.* — Nec obstant motiva in contrarium: Non ratio num. 37, allata; tum quia principibus Christianis in hoc puncto deest jurisdictio: Ecclesiasticis quidem ex eo, quod in infideles jurisditionem ecclesiasticam non habeant juxta illud Pauli 1 Corinth., xii. Quid mihi de iis, qui foris sunt sæcularibus autem, quia eorum jurisdictio ordinatur ad finem naturalem, ac temporalem, non vero ad

finem supernaturalem, seu ad ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, uti sunt fides, et baptisma. Gonzal., loc. cit., num. 8. Vel si etiam circa ea, quæ sunt ordinis supernaturalis, et ad finem hunc ordinata, Principibus sæcularibus in suos subditos aliqua jurisdictio competit pro custodia legum divinarum, uti competere videtur hoc ipso, quod transgressores, vel observare nolentes jura divina variis pœnis etiam mortis afficiant, tamen hæc eis non competit in subditos, ut cogere eos possint ad fidem ob specialem prohibitionem per jura supra n. 40, citata.

42. *Ac jura.* — Ad jura in contrarium allegata respondetur, illa intelligenda esse de coactione indirecta, qua onera alias quidem debita, sed riguroso jure imponuntur, quæ fidelibus vel ex toto, vel ex parte remittuntur: vel qua pœnæ confiscationis bonorum, vel exilii, etc., aliis delictis quidem promeritæ Judæis, aut paganis stricto jure infliguntur, quæ fidelibus gratiose remittuntur. Palao, tract. IV, disp. 2, p. 6, num. 5; Gonzalez, loc. cit., nu. 9 et alii. Ad quæ si quis reponat, hanc legum interpretationem non longe abesse a torsione eorum: Respondetur ita suadere clariores aliorum jurium textus, coactionem infidelium ad fidem manifeste prohibentes, quibus ne discordent, se concordent alia, interpretationem etiam minus claram adhiberi oportet, cum expediat jura juribus concordare, et eorum correctiones, si sustineri valeant, evitari, c. *Cum expediat. de Elect.*, in 6.

43. *Indirecte tamen ad fidem cogi possunt; et quomodo?* — Dicitur tamen notanter in conclusione directe; quia indirecte cogi ad fidem, et baptismum posse Judæos, atque Saracenos, communiter admittunt doctores; quæ indirecta coactio fieri potest variis modis, v. g. promissione, aut oblatione præmiorum, honorum, privilegiorum, officiorum, remissione totali aut partiali onerum alias debitorum, si fidem suscipiant, aut rigurosa eorum exactione, ab iis, qui non suscipiunt, aut superstitiosorum rituum usum tanquam reipublicæ nocivum prohibendo, captivos liberando, etc., quia hæc coactio nec justitiæ, nec alii virtuti adversatur; consequenter tanquam licitum medium ad finem tam sanctum consequendum omnino applicari poterit, quod idem D. Gregorius practicavit, prout patet ex illis verbis, quæ lib. IV, epist. 6, habentur: « Pervenit

ergo ad me, esse Hebræos in possessionibus nostris, qui converti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi, quod per omnes possessiones in quibus Hebræi esse noscuntur, epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens, quod quicumque ad verum Dominum nostrum Jesum Christum ex eis conversus fuerit, onus pensionis ejus ex aliqua parte imminuetur. quod ita quoque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit, id solidi pensione annua, tremissis ei relaxari debeat; si tres, vel quatuor, unus solidus relaxetur; si quid amplius, jam juxta eundem modum debet relaxatio fieri vel certe juxta quod dilectio tua providet, ut et ei, qui convertitur, onus reveletur, et ecclesiastica utilitas gravi dispendio non prematur. Ne hoc inutiliter facimus, si pro levandis pensionum oneribus ad Christi gratiam perducamus; quia etsi ipsi minus fideliter veniant, hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fideliter baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucratur. Et ideo non est grave, quidquid de pensione pro Christo dimittimus. »

44. *Judæi et Saraceni, semel recepti, et de habitatione promissa aut pacto assecurati ejici ob infidelitatem non possunt.* — Resp. II. Judæi, et Saraceni in territorium Christianorum semel suscepti, et de habitatione, ac protectione pactis, aut promissis assecurati, ex hac sola causa, quod fidem, vel baptismum suscipere nolint, ejici non possunt. Patet conclusio ex dictis numer. 7, quibus accedit, quod talis esset directa, consequenter injusta coactio ad fidem, dum sine alia legitima causa privarentur habitatione, quæ eis etiam ut infidelibus promissa sicque jure debita est.

45. *Bene vero ex alia causa.* — Dicitur autem notanter, ex hac sola causa, etc. Nam si alia justa causa concurrat, v. g. iniqua eorum conspiratio, aut machinatio contra Christianos, vel si alia ratione incipiunt esse scandalosi, perniciosi, aut periculosi reipublicæ Christianæ, aut bono communi politico, aut si ob alia delicta merentur ejectionem, ejici utique poterunt, prout pariter diximus supra num. 7. Et ex hujusmodi causa merito ejecti censentur ex Hispania. Unde exempla num. 39, adducta contra conclusionem n. 40, positam non militant.

46. *Qui semel fidem susceperunt infideles, ad fidem cogi possunt.* — Observat etiam bene cum commun. aliorum Layman, lib. II, tr. I, cap. xvii, n. 2, illos Judæos, et infideles, qui

jam semel fidem Catholicam etiam coacte professi et per hanc veluti j. nam in Ecclesiam ingressi, ejus jurisditioni se subdiderunt, ab ea postea impie recedentes, ad fidem et obedientiam Ecclesiæ directe quoque cogi, ac propter renitentiam e Christianorum terris ejici posse textu satis claro c. *de Judæis*, 5, dist. 45, ibi: Oportet ut fidem, quam etiam vi, vel necessitate coacti susceperunt, tenere cogantur. Et hoc a fortiori etiam intellige de illis qui ut Christiani nati, ac educati ad Judaismum, vel infidelitatem, aut etiam hæresin apostatarunt. Layman, ibid.

47. *Ob solam infidelitatem bellum infidelibus indici nequit.* — Quæritur VII. An Judæis, et infidelibus non subditis ob solam infidelitatem, idololatriam, aliave peccata contra naturam, Christianis tamen, aut innocentibus non injuriosa bellum indici, iique ob hanc solam causam bello expugnari, terrisque, et possessionibus suis privari valeant? Resp. Negative. Ita cum communiore Covarruvias, *Regula peccatum*, p. II, § 10, num. 4; Molina, *de Jure et just. tr.*, 2, disput. 5 et 6; Layman, lib. II, tract. I, cap. xvii, num. 5; Engel, h. t. num. 9, quamvis hic affirmativam quoque probabilem existimet, quam apud Molinam, loc. cit., etiam tenent Maïron, in 4, dist. 15, q. 20, et Alphonsus de Castro, 2, *de Justa hæreticorum punitione*, cap. xiv, volentes, hanc solam causam fuisse sufficientem, incolis novi orbis inferendi bellum. Ratio autem nostræ conclusionis est, quia deest jurisdictio sine qua non datur justa criminis etiam legi divinæ adversi puniitio: sicut enim ex defectu jurisdictionis rex Hispaniæ non potest punire Gallorum delicta, etiam legi divinæ, et naturali adversa, nec illos bello adigere ad observantiam divinæ legis; ita neque princeps quicumque tandem Catholicus bello adigere poterit infideles ad fidem, servandasque leges divinas. Confirmatur. Princeps Christianus non potest infideles sibi subditos cogere ad fidem; ergo multo minus alienos; atqui bello hos adigere ad fidem esset directe cogere illos ad fidem, ergo.

48. *Solvitur instantia.* — Nec pro affirmativa militat, quod olim Israelitæ infideles, plures ob solam infidelitatem bello expugnaverint, terrisque et possessionibus suis spoliaverint. Resp. enim id eos fecisse ex speciali jussu, et concessione Dei, qui totius universi plenissimus Dominus est: Nam Do-